

## CAPITULUM 8

## QUAEDAM CORRELARIA DE SPECIE

## §1

Assignato autem genere... 6,24-7,4 . Ista est tertia pars huius capituli, in qua Porphyrius, ut maiorem accipiat evidentiam de tertia definitione speciei, ponit quaedam correlaria et documenta quae ex antedictis conclusionibus sequuntur.

Primum documentum: genera et species praedicamentorum non de se in vicem universaliter praedicantur. Secundum documentum: quodlibet superius est magis commune quam aliquod suum inferius, ibi:<sup>1</sup> de quibus autem species. Tertium documentum: quodlibet individuum est alteri in communicabile, ibi:<sup>2</sup> individua ergo. Quartum documentum: genera, et species et individua habent invicem habitudinem continentis et contenti, ibi:<sup>3</sup> continetur igitur.

Primum documentum Porphyrius dupliciter declarat. Primo quidem ex his quae dicta sunt. Nam in assignatione definitionis generis et speciei dictum est quod genus est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid, et quod species est illud quod praedicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid; dictum est etiam quod genere existente uno species sunt plures, quoniam divisio generis semper est in plures species; ex quibus sequitur quod genus universaliter praedicatur de specie et quodlibet superius universaliter praedicatur de suis inferioribus. Species autem non universaliter praedicatur de genere proximo illi neque de superioribus. Unde concedendum est quod omnis homo est animal, et vivens, et corpus et substantia. E contra autem, quia genus non convertitur cum specie neque superius cum suo inferiori, non vere dicitur 'omne animal est homo', sicut non vere dicitur 'omnis substantia est corpus' aut 'omne vivum est animal'.

Lege litteram: Assignato autem genere et specie quid est utrumque,

et genere quidem uno, speciebus vero pluribus. Semper enim in plures species divisio generis est; genus quidem semper de specie praedicatur et omnia superiora de inferioribus universaliter. Specie autem neque de proximo sibi genere neque de superioribus universaliter praedicatur; neque enim convertitur species cum aliquo illorum.

## §2

Oportet autem aequa... 7,4-8 . Secundo sic: omne quod universaliter praedicatur de aliquo, necesse est quod praedicetur de illo sicut convertibile de convertibili aut sicut maius de minori; sed species non convertitur cum genere, neque est maior genere; igitur species non praedicatur universaliter de genere. Patet consequentia cum maiori; nam hinnibile universaliter praedicatur de equo, quia convertitur cum eo tamquam proprium eius. Vere enim dicitur 'omnis equus est hinnibilis', sicut vere dicitur 'omnis homo est risibilis'. Etiam vere dicitur 'omnis homo est animal', quia animal maius est quam homo, scilicet maiori parte communitatis; est enim animal commune ad omnia animalia, homo autem solum ad homines. Minor vero est evidens. Nam homo non est proprium animalis, neque e contra; non etiam est eo maius neque communius. Propterea non bene dicitur 'omne animal est homo' sicut bene dicitur 'omnis homo est animal'.

Lege litteram: oportet autem aequa de aequis, id est: convertibilia de convertibilibus, universaliter praedicari, ut hinnibile de equo, aut maiora de minoribus, id est: communiora de minus communibus, ut animal de homine; minora vero de maioribus minime, neque animal dicitur hominem universaliter quemadmodum dicitur hominem esse animal.

Utrum genus possit habere unam speciem tantum

Notandum, secundum Philosophum, VI Topicorum,<sup>4</sup> quod si in definitione ponitur aliquid tanquam differentia, necesse est quod illud opponatur alteri differentiae eiusdem generis. Si enim nulli opponitur quod sit differentia, neque illud quod est in definitione est differentia.

Ex quo sequitur quod genus non potest dividi tantum per unam differentiam, sed necessario dividitur per differentias oppositas; neque aliqua differentia dividit vel differre facit nisi propter oppositionem quam habet, non secum, sed cum alia differentia. Propter quod dicit Boethius<sup>5</sup> quod omnis aletas causatur ab oppositione.

Et per hoc patet quod aliter accipitur illud verbum 'praedicatur' in definitione generis et aliter in definitione speciei; quia in definitione generis dicit actualem pluralitatem specierum, in definitione autem speciei dicit aptitudinalem pluralitatem individuorum. Nam sicut genus coniunctum cum una differentia constituit unam speciem, ita coniunctum cum alia differentia constituit aliam speciem; neque has differentias habet genus ab extrinseco, sed ab intrinseco, eo modo quo materia ab intrinseco habet potentias contrarias ad formas contrarias. Species autem non habet aliquam talem differentiam ab intrinseco, sed, si aliquam habet, illa provenit ab extrinseco, ex divisione materiae; ideo species non requirit actu nisi unum suppositum, aptitudine autem sibi non repugnat habere plura. Aliqua enim est species quae habet plura individua simul, ut homo, et aliqua quae habet plura individua non simul sed successive, ut phoenix; quaedam vero non potest habere nisi unum suppositum, ut sol et luna. Porphyrius ergo, dans intelligere quod generi non sufficit una species sicut speciei unum individuum, dicit in littera quod existente uno genere species sunt plures et quod in plures species semper fit divisio

generis.

Dubitatur: si nullum esset animal praeter hominem, adhuc homo praedicaretur de pluribus differentibus numero in quid; ergo homo esset species; sed species est illud quod immediate ponitur sub assignato genere; ergo talis species, homo, haberet genus immediatum, quod nullum apparet nisi animal; igitur, in casu isto, animal esset genus et nullam nisi unam speciem haberet.

Respondetur quod genus secundum naturam suam necessario habet duas species, sicut secundum naturam suam de necessitate habet duas differentias ab eo fluentes. Tamen Deus potest facere quod non habeat nisi unam differentiam per quam descendat in speciem absque divisione. Sicut etiam equus et hinnibile convertuntur sicut subiectum et proprium, et tamen Deus potest facere quod non invicem convertantur, et quod hinnibile non sit proprium equi. Dicit autem Porphyrius<sup>6</sup> quod divisio generis semper est in plures species; sed in casu isto non divideretur genus, solum autem cum una differentia constitueret speciem.

#### §4

De quibus autem species... 7,8-12 . Secundum documentum: quodlibet superius est magis commune quam aliquod suum inferius. Probatur: de quocumque praedicatur inferius, de eodem praedicatur superius, et non e contra; ergo etc. Tenet consequentia cum minori ex priori documento, quia de aliquo praedicatur animal de quo non praedicatur homo. Maior patet inductive, quoniam de quocumque praedicatur species de eodem praedicatur proximum genus, et iterum genus illius generis usque ad generalissimum. Homo enim praedicatur de Sorte, et animal de homine, et substantia de animali, quia verum est dicere 'Sortes est homo' et 'homo est animal' et 'animal est substantia'; ideo de Sorte praedicatur animal et substantia sicut homo, quia verum est dicere 'Sortes est animal et substantia' sicut verum est dicere 'Sortes est homo'. Semper enim superius praedicatur de suo inferiori sicut forma

de materia non solum in praedicamento substantiae, sed in omnibus praedicamentis.

Lege litteram: de quibus autem species praedicatur de his necessario et speciei genus praedicabitur, et generis genus usque ad generalissima. Si enim verum est Socratem hominem dicere, hominem autem animal, animal vero substantiam, verum est Socratem animal dicere atque substantiam. Semper enim superiora de inferioribus praedicantur.

### §5

Et species quidem... 7,12-15 . Notandum primo, secundum Porphyrium, quod si consideretur praedicamentum secundum habitudinem inferiorum ad superiora continue ascendimus componendo; et primum praedicatum est species specialissima, secundum est genus subalternum, ultimum autem est genus generalissimum. Quorum differentia est ista, quia species specialissima non praedicatur nisi de individuis, genus autem praedicatur de specie et de individuis, generalissimum autem praedicatur de genere, si unum est, si autem plura sunt genera subalterna, de omnibus illis praedicatur, ac etiam de specie specialissima et de quolibet suo individuo. Exemplum primi 'Sortes est homo'; exemplum secundi 'Sortes est animal' et 'omnis homo est animal'; exemplum tertii 'Sortes est substantia', 'omnis homo est substantia' et 'omne animal est substantia'.

Lege litteram: et species quidem de individuis praedicabitur, genus autem et de specie et de individuo, generalissimum autem et de genere et de generibus, si plura sint media et subalterna, et de specie et de individuo.

### §6

Dicitur autem generalissimum... 7,16-21 . Secundo notandum, secundum Porphyrium, quod si consideretur praedicamentum secundum habi-

tudinem superiorum ad inferiora, continue descendimus per resolutionem superiorum in sua inferiora. Et primum praedicatum est generalissimum, secundum est genus subalternum, ultimum autem est species specialissima; sed ultimum subiectum est individuum. Quorum differentia est haec: nam generalissimum de omnibus praedicatur quae sunt sub ipso, videlicet de omnibus generibus, et speciebus et individuis; genus autem quod est ante speciem, de specie praedicatur et de omnibus individuis; species autem ipsa solum de individuis praedicatur; individuum vero de uno solo particulari praedicatur, sive fuerit individuum nominatum, ut Sortes, sive signatum, ut hoc album, hoc veniens, sive fuerit individuum circumlocutum, ut Sophronisci filius -dato quod unum tantum filium Sophroniscus habeat, qui sit Sortes. Nominat hic Porphyrius individua plurium praedicamentorum: nam Sortes est individuum praedicamenti substantiae; hoc album est individuum praedicamenti qualitatis, non connotans tempus neque motum; hoc veniens est individuum praedicamenti actionis vel passionis, connotans tempus et motum; Sophronisci filius est individuum praedicamenti relationis, connotans principium effectivum. Si autem connotaret locum vel patriam, esset de praedicamento ubi, ut faber romanus, dato quod Parisius nullus nisi unus esset faber natus Romae -ibi enim per 'fabrum romanum' tantum unus intelligeretur particularis et singularis homo. De individuo autem vago, ut aliquis homo, aliquis equus, non loquitur Porphyrius, quia illud de pluribus praedicatur, non quidem per se, sed per accidens, ratione naturae specificae quam contrahit, non ad determinatum individuum, sed ad determinatum sexum.

Lege litteram: dicitur autem generalissimum quidem de omnibus sub se positis generibus speciebusque et individuis, genus autem quod ante specialissimum est dicitur de omnibus specialissimis et de individuis, solum autem species de omnibus individuis; individuum autem de uno solo particulari praedicatur. Individuum autem dicitur Socrates,

et hoc album, et hoc veniens et Sophronisci filius, si solus sit ei Socrates filius.

## §7

Quattuor argumenta contra litteram, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod generalissimum non praedicatur de omni contento sub illo. Quia, cum corpus ponatur non solum in praedicamento substantiae, sed etiam in praedicamento quantitatis, per Aristotelem in Praedicamentis,<sup>7</sup> sequitur quod omne corpus est substantia et omne corpus est quantitas; ex quibus, in primo tertiae figurae, concluditur quod aliqua quantitas est substantia.

Secundo arguitur quod genus non praedicatur de specie, quia si sic aut ergo tamquam convertibile de convertibili aut tamquam maius de minori. Primum non potest dari, ut patet. Et quod secundum non detur arguitur: nam unumquodque quod praedicatur de aliquo praedicatur secundum esse quod habet in ipso; sed genus esse quod habet in una specie non habet in alia, quia dividitur et contrahitur suum esse ad diversas species per diversas differentias; ergo non praedicatur sicut maius de minori, sed sicut aequale de aequali.

Tertio arguitur quod species non praedicatur de individuo, quia si sic aut ergo aequivoce vel univoce. Non aequivoce, quia non diversis rationibus, ex quo non descendit in individua per differentias essentiales. Si dicitur quod univoce, contra: sicut se habet genus ad speciem, ita species ad individuum, per Porphyrium in littera; sed genus aequivoce praedicatur de specie, secundum illud Aristotelis, VII Physicorum,<sup>8</sup> "in generibus latent aequivocationes"; igitur etiam species de individuo aequivoce praedicatur.

Quarto arguitur quod individuum non praedicatur de uno solo. **P**rimo quia non praedicatur, ex quo a prima substantia non est praedicatio, per Aristotelem in Praedicamentis.<sup>9</sup> Deinde, si praedicatur, videtur

quod de pluribus praedicetur, quoniam aliquod album est Sortes et aliquod musicum est Sortes; constat autem quod album et musicum sunt plura.

Ad primum negatur illa consequentia 'omnes corpus est substantia; et omne corpus est quantitas; ergo quantitas est substantia', quia arguitur in quattuor terminis, ex quo medium in praemissis non supponit pro eodem. In maiori enim supponit pro corpore praedicamenti substantiae, quod est compositum ex materia et forma; in minori vero supponit pro corpore praedicamenti quantitatis, quod est continuum tri-nae dimensionis. Si tamen in utraque praemissarum supponeret medium pro eodem, necessario una earum esset falsa; prima namque esset falsa si supponeret pro corpore praedicamenti quantitatis, et secunda esset falsa si supponeret pro corpore praedicamenti substantiae. Si autem medium illud supponeret generaliter pro quolibet illorum corporum, utraque praemissarum esset falsa.

Ad secundum respondetur quod genus praedicatur de specie tanquam maius de minori, ut asserit Porphyrius<sup>10</sup> in littera. Et ad argumentum dicitur quod genus totum suum esse et totam suam essentiam quam habet in una specie habet in alia. Sed non habet totam suam potentiam neque omnem suam differentiam in omnibus suis speciebus indifferenter; dividitur enim sua potentia per differentias, et contrahitur tota sua essentia ad diversas species. Sicut enim eadem est materia numero contracta successive ad diversa composita per diversas formas, ita eadem est natura generica quae contrahitur ad diversas species per diversas differentias simul concurrentes.

Ad tertium dicitur quod species specialissima univoce et nullo modo aequivoce praedicatur de suis individuis, ex quo non ponit in eis diversum gradum perfectionis essentialis, sed tantum unum. Genus autem aequivoce praedicatur de speciebus, quia ponit in eis diversos gradus perfectionis essentialis. Quia enim species specialissima im-



mediate descendit in individua, genus autem mediantibus differentiis essentialibus constituentibus diversas definitiones descendit in species, hinc est quod species specialissima non praedicatur de individuis diversis rationibus, sed unica ratione, genus autem diversis rationibus praedicatur; et secundum hoc praedicatur aequivoce. Praedicatur autem univoce in quantum omnes istae particulares rationes concurrunt in unam rationem communem et primariam ipsius generis. Ad rationem igitur negatur consequentia; neque illa similitudo in omnibus est accipienda, quia non ad omnem modum praedicandi, sed solum quo ad communitatem et superioritatem. Ita quod qualem communitatem et superioritatem habet genus ad species, talem habet species ad individua; sed genus praedicatur de omnibus suis speciebus; ergo species praedicatur de omnibus suis individuis.

Ad quartum respondetur quod individuum praedicatur de se ipso in quantum habet formam quae praedicatur de sua materia. Quando autem Aristoteles<sup>11</sup> dicit quod a prima substantia non est praedicatio, intelligendum est illum dictum prout praedicatio dicit habitudinem superioris ad suum inferius. Quando autem dicit Porphyrius<sup>12</sup> quod individuum praedicatur de se ipso, illud verbum 'praedicatur' dicit habitudinem alicuius ad se ipsum secundum diversas partes. Deinde, cum arguitur quod praedicatur de pluribus, videlicet de albo et musico, dicitur quod illud est verum secundum vocem et non secundum rem, quoniam in re Sortes est subiectum albi et musici et non praedicatum. Non etiam differunt in re album et musicum tamquam duo realiter distincta de quibus praedicatur Sortes, ex quo idem numero est album et musicum; differentia autem est solum ex parte rationis.

## §8

Individua ergo... 7,27,21-27 . Tertium documentum: quodlibet individuum est alteri incommunicabile per praedicationem. **I**stud documen

tum est sequens ex alio; si enim individua non praedicantur de pluribus sed tantum de uno, sequitur quod omne individuum est alteri incommunicabile. Rationem tamen istius incommunicabilitatis assignat Porphyrius,<sup>13</sup> dicens quod collectio principiorum et proprietatum alicuius individui in alio inveniri non potest. Sicut enim genus et differentia sunt principia speciei, ita species et individuatio sunt principia individui; sicut igitur una species est alteri speciei incommunicabilis, quia collectio suorum principiorum in alia specie inveniri non potest, ita unum individuum est alteri incommunicabile, quia collectio suorum principiorum in altero individuo inveniri non potest. Et sicut a specie fluunt proprietates quarum collectio in alia specie inveniri non potest, quia risibile, disciplinabile, mansuetum natura et huiusmodi non possunt inveniri in alia specie ab homine, ita ab individuo, ut puta a Sorte vel a Platone, fluunt proprietates accidentaliter constitituentes ipsum individuum, quarum collectio in alio individuo inveniri non potest. Propterea individuum est incommunicabile alteri individuo ratione suarum proprietatum singularium, sicut species est incommunicabilis alteri speciei ratione suarum proprietatum universalium. Et licet species sit aliquo modo incommunicabilis, non tamen simpliciter sicut individuum; quaelibet namque species est incommunicabilis alteri speciei, sed suis individuis est communicabilis, quia in quolibet illorum invenitur collectio suorum principiorum et suarum proprietatum.

Verbi gratia, homo communicatur suis individuis, scilicet homo communis, non tantum aliquibus, sed omnibus, ex eo quia animal rationale, et risibile, et disciplinabile et huiusmodi inveniuntur in omnibus particularibus hominibus in eo quod homines sunt; non enim inveniuntur in eis secundum quod sunt animalia aut corpora animata, quia talia consequenter invenirentur in omnibus animalibus aut in omnibus corporibus animatis -quod non est verum.

Lege litteram: individua ergo dicuntur huiusmodi, scilicet incommu

nicabilia per praedicationem; quoniam ex proprietatibus consistit unumquodque eorum, quarum collectio in alio numquam eadem erit. Socratis enim proprietates numquam in alio quolibet erunt particularium. Haec vero quae sunt hominis proprietates, dico autem eius qui est communis proprietates, erunt eadem in pluribus, magis autem in omnibus particularibus hominibus in eo quod homines sunt.

## §9

De proprietatibus individuorum secundum Boethium

Notandum, secundum Boethium hic,<sup>114</sup> quod proprietates quarum collectio numquam in duobus individuis simul reperiuntur sunt septem, videlicet forma, figura, parens, locus, tempus, patria, nomen; unde visus, forma, figura, locus, tempus, cum nomine sanguinis, patria sunt septem quae non habet unus et alter. Et loquitur Porphyrius una cum Boethio de individuis praedicamenti substantiae, quia individua praedicamentorum accidentium non habent huiusmodi proprietates, sed magis sunt proprietates primarum substantiarum. Nec intendit Porphyrius has proprietates constituere essentialiter individuum praedicamenti substantiae, sed solum accidentaliter, cum non sint partes eius, sed solum accidentia.

Ex quo sequitur quod licet duo individua praedicamenti substantiae differant accidentaliter per has proprietates, tamen substantialiter a priori differunt per sua principia, quae sunt materia et forma. Ita quod Socrates et Plato differunt accidentaliter per sua accidentia, et hoc a posteriori; a priori autem differunt formaliter per suas formas et materialiter per suas materias etc.

## §10

Utrum forma vel materia sit principium individuationis

Circa praedicta occurrunt duo dubia. Primum est de principio individuationis, utrum forma vel materia sit huiusmodi principium.

Respondetur quod in rebus naturalibus materia sensibilis est principium individuationis. Unde, quod Sortes et Plato sint diversa individua, hoc provenit ex parte materiae sensibilis, quae alia est in uno et alia in alio. Si autem duae formae sunt in eodem subiecto, sicut contingit de albedine et dulcedine lactis, quae non solum differunt specie, sed etiam numero, principium individuationis est materia sumpta cum mixtione qualitatum primarum. In rebus autem mathematicis materia intelligibilis est principium individuationis; quantitas enim est principium individuationis figurarum, et prima materia absolute sumpta est principium individuationis quantitatis. In rebus vero separatis ab omni materia principium individuationis est forma, sicut <sup>in</sup>intelligentiis. Aliquando autem efficiens est principium individuationis, sicut contingit de duobus luminibus in eodem medio, aut de duabus speciebus sensibilibus vel intelligibilibus in eadem potentia cognitiva obiectorum solum numero differentium.

Sed arguitur quod in rebus naturalibus forma est principium individuationis, quia per idem res habet esse et unitatem; sed unumquodque ens naturale habet esse per formam, ut habetur II Physicorum;<sup>15</sup> igitur unumquodque ens naturale habet unitatem per formam, et per consequens unitas individui est ratione formae.

Item, arguitur quod materia sensibilis non est huiusmodi principium, quia primae qualitates quae sunt in eadem prima materia numero differunt, et sunt plura individua; illius pluralitatis materia non est principium; oportet ergo aliud assignare principium.

Ad primum conceditur quod forma est principium individuationis in rebus naturalibus, non quidem per se primo, sed per se non primo, quia

non est principium nisi individuata per materiam. Propterea materia est principium illius individuationis.

Ad secundum respondetur quod causa efficiens est principium individuationis qualitatum primarum in eadem materia, non quidem in fieri et in facto esse sicut contingit de principio individuationis plurium luminum in eodem medio, sed tantummodo in fieri.

### §11

#### Utrum individuum aliquid addat supra speciem

Secundum dubium: utrum individuum aliquid addat supra speciem.

Respondetur quod tam species quam individuum praedicamenti substantiae dupliciter possunt considerari, videlicet physice et logice.

Verbi gratia, homo potest considerari ut est compositum ex materia et forma, una cum dispositionibus qualitativis et quantitativis; et sic homo superaddit animali has dispositiones accidentales realiter differentes tam ab homine quam ab animali. Et ista est consideratio physica. Consideratio autem logica est si consideratur homo ut componitur tantum ex genere et differentia; et sic homo superaddit animali differentiam, non tamen distinctam ab aliquo illorum realiter, sed tantum ratione.

Ita Sortes potest dupliciter considerari. Uno modo physice, in quantum componitur ex particulari materia et particulari forma, una cum proprietatibus accidentalibus nominatis; et sic superaddit homini illas proprietates realiter differentes tam a specie quam ab individuo. Alio modo potest considerari logice, in quantum componitur ex specie et individuatione tantum; et sic superaddit speciei individuationem, non quidem realiter differentem ab aliquo illorum, sed solum ratione.

Dicendum igitur quod sicut generaliter quaelibet species, cuiuscumque praedicamenti fuerit, superaddit generi differentiam, ita quodlibet individuum superaddit speciei individuationem, quae est ratio in-

communicabilis, faciens individuum non posse nisi de uno solo praedicari.

Contra: si individuum non superaddit speciei aliquid realiter differens ab aliquo illorum, et omnia individua alicuius speciei conveniunt in realitate illius speciei, sequitur quod nullum individuum alicuius speciei ab individuo eiusdem speciei realiter differt.

Respondetur quod Sortes, ut est individuum praedicamenti substantiae, non superaddit speciei aliquid realiter differens. Quia tale superadditum non est accidens, quia tunc ex non substantiis fieret substantia -quod est contra Philosophum, I Physicorum.<sup>16</sup> Non etiam est substantia, quia illud necessario esset materia vel forma; sed nullum tale superadditur, quia materia et forma, quae sunt partes individui sunt etiam partes speciei. Et ideo est dicendum quod sicut animalitas et rationalitas, ex quibus componitur homo, non realiter differunt ab homine, sed tantum ratione, ita humanitas et sorteitas, quae est ipsa individuatio, non realiter differunt a Sorte.

Et ad rationem factam in contrarium negatur consequentia, quia etsi individua alicuius speciei conveniunt in realitate illius, talis realitas non est una numero singularis, sed est natura communis designata in individuis ex divisione materiae recipientis, aut in causa efficiente existentis.

Et si ex his concluditur quod aliqua sunt eadem uni tertio quae non sunt eadem inter se, negatur consequentia, quia species non dicitur aliquod tertium a duobus suis individuis, ex quo non realiter differt ab aliquo illorum sed tantum ratione.

## §12

Continetur igitur... 7,27-8,6 . Quartum documentum: genera, species et individua habent invicem habitudinem continentis et contenti.

Probatur: individuum continetur sub specie; et species sub genere;

igitur etc. Antecedens sic arguitur: quaelibet pars continetur sub suo toto; sed individuum est pars speciei, et species est pars generis; igitur etc. Antecedens iterum declaratur: de quocumque praedicatur individuum, de eodem praedicatur species, et cum hoc de aliquo alio; similiter de quocumque praedicatur species, de eodem praedicatur genus et de aliquo alio; igitur individuum est pars speciei et species est pars generis. Ita quod individuum ut sic est pars, et genus ut sic est totum; species vero est pars et totum. Pars quidem respectu generis et totum respectu individuorum.

Lege litteram: continetur igitur individuum quidem sub specie, species autem sub genere; totum enim quoddam est genus, individuum autem pars, species vero totum et pars; sed pars quidem alterius, scilicet generis, totum autem non alterius, videlicet unius solius individui, sed aliis; partibus enim, id est: individuis, totum est.

Ultimo Porphyrius circa determinata epilogat dicens: de genere quidem, et specie, et quid generalissimum, et quid specialissimum, et quae genera eadem et species sunt, et quae individua, et quot modis genus et species dicitur, sufficienter dictum est.

### §13

#### De toto et parte

Notandum primo quod tam pars quam totum, quantum spectat ad praesens, dupliciter accipitur. Est enim pars subiectiva et pars integralis. Pars subiectiva est conceptus recipiens praedicationem, ut individuum respectu speciei et species respectu generis. Pars integralis est principium ingrediens realem compositionem, ut lapides et ligna respectu domus.

Similiter duplex est totum, videlicet totum universale et totum integrale. Totum universale est conceptus praedicabilis de pluribus, ut genus respectu speciei et species respectu individui. Totum inte-

grale est compositum ex suis partibus realibus, intelligendo per partes reales illas quae invicem realiter differunt et a toto.

Differt autem totum universale a toto integrali, quia totum universale de qualibet suarum partium praedicatur in recto, totum autem integrale solum in obliquo, quia non bene dicitur 'lapis est domus', sed 'lapis est in domo'; bene autem dicitur 'Sortes est homo'.

Ex praedictis sequitur primo quod eadem est pars subiectiva et integralis. Patet, quia manus est pars subiectiva corporis animati et pars integralis hominis. Secundo sequitur quod idem est totum universale et totum integrale, quia domus est totum universale respectu istius domus et totum integrale respectu lapidum et lignorum. Tertio sequitur quod idem est pars et totum, non solum respectu diversorum, sed etiam respectu eiusdem, quia genus est pars essentialis speciei et totum universale respectu eiusdem. Quarto sequitur quod superius praedicatur de suo inferiori, tam secundum quod communius quam secundum quod contractum. Genus enim est totum universale respectu speciei, igitur praedicatur de specie secundum quod ea communius; et quia est pars speciei, necesse est quod praedicetur de specie tanquam contractum per differentiam.

#### §14

##### Quomodo superius praedicatur de suo inferiori

Secundo notandum quod est una opinio, quae communiter tenetur, dicens quod superius non praedicatur de suo inferiori in eo quod superius, sed in eo quod contractum. Ita quod animal non praedicatur de homine in eo quod superius, sed in eo quod contractum per differentiam; neque homo praedicatur de Sorte in eo quod superius aut communius, sed in eo quod contrahitur per individuationem. Quia modus significandi sequitur modum intelligendi, et modus intelligendi sequitur modum essendi; ergo si vera debet esse praedicatio, oportet praedic



dicatum esse in subiecto et eo modo de ipso praedicari quomodo est in eo. Sed superius est contracte in suo inferiori; igitur contracte praedicatur de eo et non tanquam superius aut communius illo.

Item, superius ut superius est aliquid abstractum per intellectum ab omnibus suis inferioribus; illud autem quod abstractum est ab aliquo, de illo non praedicatur; igitur superius ut superius de nullo inferiori praedicatur.

Item, quaelibet species est potentialiter in suo genere, si igitur genus in eo quod superius praedicatur de suis speciebus, igitur est potentialiter in qualibet sua specie; et per consequens in specie hominis sunt potentialiter omnes species animalis -quod est absurdum.

Item, quaecumque aliquid praedicatur de aliquo quicquid competit praedicato secundum quod huiusmodi etiam competit subiecto; sed superiori, in eo quod superius est, competit esse genus aut speciem; igitur species est genus et individuum est species -quod non est verum. Haec videtur esse intentio Aristotelis, dicentis in libro Elenchorum<sup>17</sup> quod ista est fallacia accidentis 'animal est genus; homo est animal; ergo homo est genus', quia variatur medium; stat enim in maiori in eo quod superius et in minori in eo quod contractum.

Contra hanc opinionem arguitur sic: genus est totum et pars respectu suae speciei, secundum Porphyrium, igitur aliter praedicatur de sua specie in eo quod totum et aliter in eo quod pars; sed in eo quod pars praedicatur contracte; igitur in eo quod totum praedicatur non contracte.

Adhuc, animal ut genus praedicatur de pluribus differentibus specie, et homo ut species praedicatur de pluribus differentibus numero; ergo animal et homo praedicantur de suis inferioribus ut superiora sunt ad illa. Patet consequentia, quia genus et species secundum quod huiusmodi habent rationem superioritatis.

Praeterea, ad interrogationem quaerentem quid est Sortes, respondetur 'homo', et ad interrogationem quaerentem propter quid Sortes est

homo, respondetur quia est animal rationale; constat autem quod animal rationale non terminat quaestionem 'propter quid' ut contracta, quia de singularibus non habetur definitio, sed de universalibus, ut habetur VII Metaphysicae; <sup>18</sup> igitur homo terminat quaestionem 'quid est' non contractum. Patet consequentia, quia definitio et definitum convertuntur, VI Topicorum. <sup>19</sup>

Deinde, quaero utrum praedicatum istius 'homo est animal' supponat pro alio ab homine aut non. Si primum, ergo praedicatur ut superius et non contractum. Si autem non supponit pro alio ab homine, ergo neque in sua convertente, videlicet 'animal est homo'; et per consequens in ista 'nullum animal est homo' et in ista 'omne animal est homo' ly 'animal' supponit solum pro homine -quod est falsum. Et patet consequentia, quia omnium propositionum positivarum in figura de inesse omnia extrema pro eisdem praecise supponunt, ut colligitur a Philosopho, I Perihermenias. <sup>20</sup>

Ad primam rationem negatur ultima consequentia; unde conceditur quod superius eo modo praedicatur de inferiori quomodo est in eo; constat autem quod est in eo sicut pars et totum; ergo superius praedicatur de inferiori contracte et ut superius.

Ad secundum negatur quod superius, ut superius, est abstractum a quolibet suo inferiori per intellectum. Sicut enim homo est species et animal est genus absque abstractione intellectus, ita quodlibet illorum est superius absque huiusmodi abstractione.

Ad tertium negatur ultima consequentia. Sicut enim materia est potentialiter in quolibet composito naturali, ita genus est potentialiter in qualibet sua specie; non tamen propter hoc omnes species animalis sunt in specie hominis, sicut neque omnis composita naturalia sunt potentialiter in uno composito.

Ad quartum negetur antecedens, quia homo praedicatur de Sorte, et tamen risibile competit homini secundum quod huiusmodi, non autem com

petit Sorti secundum quod huiusmodi, ut colligitur ex doctrina Aristotelis, I Posteriorum.<sup>21</sup>

## §15

Utrum definitiones speciei datae a Porphyrio definiant  
speciem in communi an solum speciem specialissimam

Tertio notandum quod omnia quae dicit Porphyrius in hac tertia parte huius capituli dirigit ex intentione ad maiorem intelligentiam tertiae definitionis speciei. Quam dicunt communiter opinantes esse definitionem speciei specialissimae et non speciei in communi, per hoc quod dicit Porphyrius quod haec assignatio est speciei specialissimae, cum dicitur<sup>22</sup> "species est illud quod praedicatur in quid de pluribus differentibus numero".

Sed istud habet instantiam, quia Porphyrius definiens genus per praedicari de pluribus differentibus specie in eo quod quid<sup>non</sup> definit genus generalissimum, sed genus in communi; igitur, a pari, cum definit speciem per praedicari de pluribus differentibus numero in eo quod quid, non definit speciem specialissimam sed speciem in communi. In cuius signum definit speciem specialissimam seorsum duabus definitionibus, sicut genus generalissimum, dicens "species specialissima est illa quae, cum sit species, non potest esse genus; species specialissima est illa infra quam non est aliqua inferior species".

Et ideo dicendum quod per quamlibet illarum trium definitionum speciei definitur species in communi, licet definitio tertia approprietur speciei specialissimae, in quantum illi competit secundum suppositionem tam personalem quam simplicem; speciei autem subalternae aut speciei in communi non competit nisi secundum suppositionem simplicem, eo modo quo dictum est supra. Quae quidem definitio est sic intelligenda: species est universale quod est praedicabile in quid de pluribus differentibus numero solum. Ponitur 'universale' loco generis ad exclu

dendum definitionem, quoniam haec definitio 'animal rationale' sicut hoc definitum 'homo' praedicatur in quid de pluribus differentibus numero solum. Differunt autem quia homo est universale, sed animal rationale non est universale, quia non est genus, neque species, neque differentia, neque proprium, neque accidens, sed componitur ex duobus universalibus, videlicet ex genere et differentia. Adiungitur autem nota exclusionis quia genus ut sic est universale praedicabile de pluribus differentibus numero in eo quod quid, sed non praecise, quia etiam praedicatur de pluribus differentibus specie.

Genus autem est definiendum sic: genus est universale immediate praedicabile in quid de pluribus differentibus specie solum. Primo ponitur 'universale' ad excludendum definitionem animalis cuiuslibet alterius generis, quae praedicatur immediate de pluribus differentibus specie solum. Secundo dicitur 'immediate' quia nullum genus praedicatur solum de pluribus differentibus specie, sed etiam numero; tamen quodlibet genus praedicatur immediate de pluribus differentibus specie solum. Additur autem nota exclusionis propter illos qui dicunt quod ens est quoddam universale; ipsum enim immediate praedicatur de pluribus differentibus specie, videlicet de generalissimis —nam quaecumque differunt genere differunt specie, per Aristotelem V Metaphysicae.<sup>23</sup> Si tamen accipiatur universale stricte, ut immediate dividitur in quinque praedicabilia, inserendo ly 'immediate' non oportet apponere notam exclusionis.

#### §16

##### Quattuor instantiae contra definitionem

##### Speciei, cum suis responsionibus

Quarto notandum quod definitio speciei sic intellecta habet quattuor instantias. Prima instantia est quod nullum aequivocum est definibile, ut colligitur a Philosopho, VI Topicorum;<sup>24</sup> species autem est

aequivocum, quia multipliciter dicitur, secundum Porphyrum.<sup>25</sup>

Secunda instantia est quia videtur quod ista definitio competat alteri a definito, quia 'aliquis homo' non est species, et tamen praedicatur in quid de pluribus differentibus numero solum, videlicet de Sorte et Platone.

Tertia instantia, quia omne relativum definiri habet per suum correlativum, secundum Porphyrum<sup>26</sup> in littera; constat autem quod in hac tertia definitione non ponitur 'genus' quod est correlativum speciei.

Quarta instantia est quia unius definibilis unica debet esse definitio, per Philosophum, VI Topicorum;<sup>27</sup> si ergo haec est definitio speciei nulla aliarum fuit definitio speciei, et si aliqua aliarum fuit definitio speciei, haec non est definitio speciei.

Ad primam dicitur quod non definitur species ut est quoddam commune tam ad speciem civilem quam ad logicam, sed solum ut significat speciem logicam, quoniam ista proprie vocatur species.

Ad secunda dicitur quod 'aliquis homo' non est species. Primo quia non est universale, cum non sit conceptus simplex. Secundo quia non praedicatur in quid; si enim quaeritur quid est Sortes, numquam bene respondebitur 'aliquis homo', sicut neque 'homo masculus', quia masculinitas et femininitas sunt differentiae accidentales animalis, per Aristotelem, X Metaphysicae.<sup>28</sup>

Ad tertiam respondetur quod licet relativum debeat definiri per suum correlativum definitione essentiali, tamen definitione accidentali vel descriptione potest definiri sine eo. Sicut cum dicitur 'pater est animal a quo est aliquid de sua substantia', sic in proposito haec definitio datur a posteriori, neque oportet quod detur per suum correlativum, quia est magis descriptio quam definitio.

Ad quartam dicitur quod unius definibilis est tantum una definitio pure quidditativa; cum quo stat quod sint multae aliae definitiones accidentales vel materiales, quae non sunt definitiones exprimentes

tantum quidditatem rei. Definitur enim homo non solum per 'animal rationale', quod est definitio pure quidditativa, sed etiam per 'animal risibile, et disciplinabile et mansuetum natura'. Neque obstat quod hominis definitio pure quidditativa non solum est 'animal rationale', sed etiam 'substantia animata sensitiva rationalis', ut colligitur a Philosopho, VI Topicorum<sup>29</sup> et VII Metaphysicae,<sup>30</sup> quia illae non sunt duae definitiones secundum rem, sed solum secundum vocem, quoniam in animali virtualiter continetur totum hoc: substantia animata sensitiva. Quare etc.